



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

X. Relationem causæ etiam creatæ ad duos effectus essentialem seu transcendentalem non esse probabile est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

tot mirabilia patrandi, & quod sit fons absolutus, ex quo innumerabiles rerum species, & specierum individua dimanent, quàm quod sit potens operari ad extra extrinsecus, ac per denominationem ab ipsa rerum possibilitate profecta: Deus igitur perse ipsum essentialiter est potens operari ad extra, ac proinde ad creaturas transcendentaliter relatus, Quod inde confirmari potest: quoniam diuinæ naturæ fecunditatem, qua se ad intra communicat: & diffundit, magis commendat, quod Verbi, & S. Spiritus possibilitas sit, & cum ijs essentialiter connectatur, quam si foret potens generare, & spirare extrinsecus & denominatione sumpta à personis: quas spirat, & generat. Respondeo ad perfectionem infinitam Deo congruam, & necessariam opus non esse, vt denominatione illa artificis, & potentis operari ad extra mirabiliter, & supra quàm capere possit intellectus creatus, Deo essentialis sit (nam ex supra positis liquet, id Deo repugnare, ac proinde ad eius perfectionem attinere non posse) sed solum quod tota perfectio artis, & potestatis ad extra ei essentialis sit: quod nos vltro fateamur. Quod de fecunditate ad intra naturæ diuinæ essentiali adducitur, non viget: quia ex ea minime sequitur dependentia, aliaque imperfectio in Deo: cum tamen potestas absoluta operandi ad extra nequeat esse Deo essentialis, quin multiplicem in eo imperfectiorem arguat.

CAPVT X.

Relationem causæ etiam creatæ ad suos effectus essentialem, seu transcendentalem non esse probabile est.

83.

IDque absolute tuentur plerique Philosophorum ac Theologorum extra scholam Thomisticam, vt testatur Fonseca 5. Metaphys. cap. 15. q. 1. sect. 4. Suadet autem in primis auctoritate Aristotelis, qui proxime citato lib. 5. Metaphys. cap. 15. relationem prædicamentalem trifariam diuidens, secundam eius speciem ait esse causæ in actu primo ad effectum ibi: *quædam vt calefactuum ad calefactibile, & scilicet ad se habile, & omnino actiuum ad passiuum.* Vnde sic argumentor ad homines: relatio prædicamentalis iuxta aduersarios in eo à transcendentali differt, quia non perinde ac transcendentalis fundamento essentialis est, sed potius accidentaria: & relatio causæ ad effectum, teste Aristotele, prædicamentalis est. Deinde absolute sic argumentor: relatio prædicamentalis perfectionem fundamento omnino intrinsecam minime importat: cum ergo relatio causæ ad effectum prædicamentalis sit, perfectionem fundamento omnino intrinsecam importare nequit: at eam importaret, si fundamento videlicet entitati causæ essentialis esset.

84.

Secundo, quia ideo actio, seu causalitas, per quam causa denominatur agens, est modus essentialiter connexus cum effectu, quia possunt dari simul, & semel causa, & effectus: quia causa denominatur agens effectum: & sublata hac indifferentia causæ ad agendum, & non agendum effectum, etiam existente effectu, nemo entitatem aliquam modalem essentialiter connexam cum existentia effectus admitteret, vt explora-

tissimum est. At nequeunt dari vllatenus entitas causæ creatæ, & possibilitas actionis, quia effectus aliquis à causa dimanare potest, quin entitas causæ absolute causa effectus sit, & denominetur, igitur non est adstruenda vlla connexio essentialis causæ cum effectu, vt entitas causæ causa effectus dici possit. Tertiò: quia Deus non per se ipsum essentialiter, sed per possibilitatem actionis à se distinctam effectus creati causa denominatur, vti supra probatum manet: cur ergo creatura à possibilitate actionis denominatione causæ mutare nequeat.

Quarò: quia per eandem formam actualem, per quam causa denominatur agens in actu secundo, per eandem possibilem denominatur potens agere; at per actionem actualem, & exercitam causa denominatur agens in actu secundo: ergo per eandem actionem in esse possibili, siue per eius possibilitatem denominatur potens agere, cum autem causa cum potestate agendi coincidat, sanè per eiusmodi possibilitatem causa denominabitur. Maior: quæ sola probationis indiga est, hac ratione suadet: quia eo ipso, quod obiectum per cognitionem actualem cognitum denominatur, per cognitionem possibilem cognoscibile denominatur: idemque de denominationibus amabilis, & amari, sensibilis, & sensi, vniuersibilis & vni dicendum est: ergo similiter in præfenti, &c. Quod autem aduersarij respondent, duplicem esse potestatem agendi: aliam physicam, & positiuam, & hanc entitatem causæ essentialem esse: aliam logicam, & negatiuam in non repugnantia effectus, aut actionis sitam; & hanc entitatem causæ essentialem non esse; per priorem verò potestatem agendi, non verò per posteriorem constitui, & denominari causam quatenus talem: hoc, inquam, quod aduersarij respondent, omnino frivolum est: cur enim causa ab vna potestate potius, quàm ab alia denominatur? aut cur posterior perinde ac prior positiua non sit? cum non repugnantia negatio negationis, ac proinde affirmatio, siue positiua sit.

Causam creatam suapte entitate esse potentem operari, ac proinde essentialiter, aut transcendentaliter ad suos effectus referri censent Suarez disp. 47. Metaphys. sect. 3. num. 11. Hurtado disp. 8. Physicor. §. 17. Oniedo controuers. 10. Metaphys. punc. 6. §. 1. conclus. 2. Arriaga, & communiter Recentiores. Primò, quia materia prima definitur ab Aristotele primum cuiusque subiectum, ex quo aliquid primo, & per se fit: ac materiam esse subiectum, &c. est esse causam materialem formæ substantialis: ergo materia definitur per hoc, quod sit causa materialis formæ substantialis: at definitio est intrinseca, & essentialis definito: ergo ratio causæ materialis materia intrinseca, & essentialis est, eique extrinsecus non adueniens. Eadem ratione probari potest, homini essentielle esse, quod causa sit: si quidem per animal rationale, hoc est, principium, causamque sentiendi, & discurrendi definitur. Secundo, quia materia prima est essentialiter ens incompletum, & aliter ac homo essentialiter est ens completum: at ens incompletum quatenus tale compleri postulat: ergo materia essentialiter postulat formam, per quam compleatur: ac proinde essentialiter cum possibilitate formæ connectitur, cum complementum impossibile postulari nequeat. Confirmatur, & declaratur: si deficient

85.

86.

te possibilitate cuiuscunque formæ ob id materia non deficeret, sed potius persisteret: certe in eo euentu materia postularer, & non postularer formam, per quam completeretur: postularer quidem, quia esset ens incompletum; non postularer, quia forma omnis esset impossibilis, ad impossibile autem appetitus naturalis esse nequit.

87.

Tertio: quia effectus à priori per causas demonstrari possunt, & solent, ut Philosophis omnibus constantissimum est; igitur essentia, & possibilitas effectuum ex essentia causæ per legitimam consequentiam deduci potest, atque adeo cum ea connexa est. Quarto: quia in eo causa naturalis à causa obedienciali differt, quod causa naturalis transcendentaliter ad suos effectus referatur, secus vero obediencialis: ergo, &c. Antecedens perspicuum videtur: quia quod aqua ad producendum frigus naturaliter determinata sit, & concursus Dei postulet, omniaque comprincipia ad infundendum ei debita sint, cum tamen ad gratiam producendam aqua omnino aliter se se habeat; aliunde proficisci nequit nisi ex eo, quod ad frigus, non ad gratiam transcendentaliter referatur: igitur tota differentia causæ naturalis ab obedienciali, à relatione transcendentali vni, & non alterius ad suos effectus oritur. Tandem: si causa non semetipsa sed actione in esse possibili in ratione causæ constitueretur, actio exercita à semetipsa in esse possibili produceretur. Consequens autem absurdum est, quia id, quod non est, producere vel dare esse nequit: at possibilitas actionis quatenus talis non habet esse, sed solum posse esse. Sequela autem suadeo: quia actio exercita oritur à sua causa, quatenus causa est, at causa quatenus est perfectionem in esse possibili constituitur: igitur actio à sui ipsius possibilitate realiter produci debet.

88.

Verum ad primum respondeo, in causa creata distinguendam esse entitatem, & perfectionem causæ à denominatione causæ, quæ ulterius actionem in esse possibili importat: & quamvis nihil conuenire alicui possit quoad entitatem, quod ei quoad denominationem omnino secum identificatam non conueniat, ut in Metaphys. ostendam contra Connotatores inter agendum de relatione; tamen cum entitas, & denominatio realiter inadæquate distinguuntur, ut in entitate causæ, & eius denominatione vsuuenit: non video, cur alicui aliquid quoad entitatem, & non quoad denominationem conuenire nequeat: Vnde materiæ essentiale est, quod sit formæ subiectum, & causa materialis quoad totam entitatem, & perfectionem subiecti, & causæ materialis; scilicet vero quoad denominationem: definitio etiam quoad solam entitatem, & perfectionem in recto importatam, non verò quoad denominationem: definitio essentialis esse debet: hinc ad exemplum ab homine deductum constat.

89.

Ad secundum respondeo: appetitus innatus sumi potest, aut quoad entitatem, & perfectionem eius, quod appetit, aut quoad denominationem appetentis; quæ ulterius complectitur possibilitatem eius boni, quod appetitur: cum autem materia, aut alteri enti incompleto essentiali esse dicitur, quod appetat compartem, per quam compleatur, is appetitus quoad solam entitatem, non verò quoad denominationem essentialis censendus est: quod si deficiente possibilitate cuiuscunque formæ maneret materia; in eo

quidem euentu formam innatè appeteret quoad solam entitatem, & perfectionem appetitus; siue, ut aiunt, inchoatiue, non verò quoad denominationem, & formaliter: quæ ratione si homo esset impossibilis, Angelus non distingueretur quoad denominationem, & formaliter à vero, & reali homine, qui tunc nullus esset, sed duntaxat quoad entitatem, & inchoatiue. Ad tertium respondeo: causa quoad denominationem causæ cum possibilitate effectuum necessariò connexa est: quare ex ea à posteriori cognita demonstrari poterit possibilitas effectus in hunc modum: virtus calefactiua calorem possibilem respicit: sed datur virtus calefactiua: ergo datur possibilitas caloris.

Ad quartum respondeo: causa naturalis, & obediencialis optimè differre poterunt, quantumvis neutra transcendentaliter referatur: quia causa naturalis est, cui existentia effectus saltem indeterminatè, & comprincipia ad eam producendam suo iure debita sunt: obediencialis verò, cui indebita sunt: at, circumscripta quauis relatione transcendentali, data differentia tenet; aliud enim est, tribuere posse; aliud tribuere ius, & debitum: sicut ipsum posse, & ius, siue debitum diuersa sunt: & plura possunt fieri, quæ tamen fieri non debent: igitur possibilitas effectus, circumscripta quauis relatione essentiali, vni entitati tribuere poterit, posse agere existentiam effectus, cui tamen ad eam agendam ius, & debitum non tribuat; & alij entitati non solum posse, verum etiam ius, & debitum in existentiam effectus tribuere poterit: & sic causa naturalis ab obedienciali secerni poterit, quamvis utraque per possibilitatem effectus intrinsecè compleatur. Confirmatur, & declaratur: quia quamvis causa naturalis, & obediencialis ad effectus suos transcendentaliter referrentur; adhuc vna ab alia distingui posset: ergo quamvis neutra ad suos effectus transcendentaliter referatur; adhuc inuicem distingui poterunt. Antecedens contra Patrem Martinez lib. 1. de ente supernatural. disp. 8. num. 28. in hunc modum probatur: quia aliud est connexio cum possibilitate: aliud connexio cum existentia: siquidem cognitio essentialiter vera, possibilitatem alterius mundi asserens, cum eius possibilitate, non verò cum eius existentia connectitur: igitur quamvis causa naturalis, & obediencialis cum possibilitate suorum effectuum essentialiter connexæ essent, ad easque transcendentaliter referrentur; adhuc altera cum effectuum existentia saltem indeterminata connexa posset esse: secus vero altera, sicut ad discrimen causæ naturalis, & obediencialis oportet.

90.

Ad vltimum respondeo: sicut cognitio terminatur ad obiectum, quin tamen terminetur ad omne id, per quod obiectum in ratione obiecti constituitur: aliàs ad seipsum terminaretur, sed præcisè ad id, quod obiectum in recto, & magis principaliter importat: ita similiter actio à causa produci poterit; non quod ab omni eo, per quod causa constituitur, nimirum possibilitate ipsius actionis procedere debeat; sed quod procedat ab entitate causæ, quam causa in recto, & principaliter importat. Non difficeor tamen, quin possibilitas actionis sit, sin minus principium effectuum, de quo in præfati, saltem conditio sine qua non ad existentiam effectus: eaque hoc

91.

ex

ex titulo prior ordine naturæ, seu ratione. Ad finem additio, non solum possibile esse causas omnes creatas, etiam de facto existentes, non referri transcendentaliter ad suos effectus, sed etiam omnino mihi certum videri non repugnare saltem causas creatas, saltem alterius ordinis, quæ ab eiusmodi relatione sint prorsus absolutæ: id, quod ex dictis toto hoc capite satis apertè colligitur.

CAPVT POSTR.

*Probabile etiam est, causas creatas, ac de facto existentes referri transcendentia-
liter ad suos effectus.*

92.

ET quidem non problematicè, sed absolutè id propugnant: tum ij omnes, qui causam etiam incretam ad creaturas putant transcendentaliter referri: tum etiam ex iis, qui talem Deo negant relationem. Ouiedo, Hurtadus, & alij plures Recentiores. In eadem sententia fuit olim ex antiquissimis illis Philosophis omnium (si fortè Aristotelem excipias) facilè Princeps Plato, vt pater ex his eius verbis in Theæteto: *relinquitur igitur, vt opinor, siue simus nos inuicem esse, siue fiamus inuicem fieri, quandoquidem nostram essentiam necessitas ipsa connectit. Connectit autem aliorum nulli, nec nobis ipsis: inuicem ergo vinciri sequitur. Quapropter siue, quis esse aliquid dixerit, siue fieri; ita accipiendum est, alicui esse fieri, vel alicuius, vel ad aliquid: vbi pende præter alia, id quod ait: nostram essentiam necessitas ipsa connectit.* Quasi relatio, & connexio, quam adstruit inter causas creatas, effectusque ab iis prodeuntes, sit essentialis, siue transcendentalis. Et quidem quod de hac relatione sermonem habeat, luce clarius est ex his, quæ subiicit: nam relationem, quam exponit explicat per ordinem sensus, siue cognitionis materialis ad sensibile; quem quis neget esse transcendentalem: alterius, inquit ibi, est sensus, & alienum, aliudque sentientem efficit, &c.

63.

Probatur autem hæc nostra assertio non solum autoritate tanti Philosophi, sed etiam rationibus: quarum prima sit hæc: multæ sunt entitates creatæ, quæ ad alias referuntur transcendentaliter, & cum earum possibilitate connexionem habent essentialem: quidni ergo inter tales entitates connumerentur causæ creatæ comparatione suorum effectuum? Probatur antecedens: quia omnis cognitio creatæ essentialiter vera connectitur essentialiter cum existentia obiecti sui, si de illo, quod existat, affirmet: ergo à fortiori cum possibilitate obiecti connexionem fortietur summam, & essentialem. Item actio omnis creatæ quomodo potest cum existentia effectus, quem produxit, connecti essentialiter, ad eumque transcendentaliter referri, quin eadem connexionem, & relationem possibilitatem eiusdem effectus respiciat? Idem seruata proportione videre est in modo vnionis, & quibusuis aliis respectu rerum absolutarum, ad quarum existentias essentialiter alligantur. Altera pro eadem sententiâ ratio sit; ob id causam incretam non connecti essentialiter cum creaturis possibilibus, nec ad eas transcendentaliter ordinari; quia talis connexio, & ordinatio, siue relatio faceret eum à creaturis reuera dependere, & hanc ei imperfectionem im-

perfectionem imponeret; cum tamen nulla possit in eum cadere: atqui omnis perfectio causarum creatarum est coniuncta cum aliqua imperfectione: nihil est ergo, quapropter non possit virtus productiua, qua pollent, coherere cum earum dependentia essentiali à suis effectibus, adeoque cum relatione ad illos transcendentali. Præterea eandem sententiam non leuiter suadent quinque rationes, quas pro ea obieci capite præcedenti ante medium: iis enim etsi factum sit satis, haud tamen nisi probabiliter; atque consequenter ita, vt sententiæ, pro qua sunt obiecta, suam relinquât probabilitatem, eamque non modicam, neque contemnendam. Denique probatur illa eadem sententia solutione argumentorum, quæ aduersus illam, ineunte citato capite præcedenti, sunt à nobis proposita.

Ad primum eorum dicendum est, relationem causæ ad effectum vt existentem, & productum pro aliqua anteriori temporis differentia, non vero ad eum vt possibilem, dici ab Aristotele obiecto illo lib. 5. Metaphys. cap. 15. prædicamentalem, & reuera esse talem: quare licet sit de conceptu relationis prædicamentalis, vt non sit essentialis, sed accidentaria; aut vt non dicat perfectionem fundamento intrinsecam; tamen relatio causæ creatæ ad suos effectus vt possibiles poterit esse ei essentialis, & perfectionem ei intrinsecam importare: at de relatione hac causæ creatæ ad effectum vt possibilem, non vero vt existentem disputatio est in præsentia. Adde quod probabilissimum sit, vt in Metaphysica ostendetur, omnem veram, realemque relationem, siue in fundamento intrinseca, & essentialis; siue ex parte accidentalis, & extrinseca, esse prædicamentalem: quamuis ergo relatio causæ creatæ ad omnem suum effectum, etiam vt possibilem sit essentialis, adhuc esse poterit prædicamentalis: nec quod prædicamentalis sit, tollere ne sit essentialis.

94.

Ad secundum argumentum contrarium eorum, quæ à nobis supra sunt obiecta, dicendum est, non aliud eo conuinci, quam quod relatio causæ creatæ ad suum effectum possibilem, merito cuius dicitur eum potens producere haud sit modus inter vtutemque interiectus: eius enim modi nulla esse potest necessitas, cum supposita entitate causæ creatæ, & effectus, siue actionis possibilitate, haud supersit vlla indifferentia ad denominationem potentis, de quâ loquimur, vel oppositam: nulla, inquam, indifferentia, quæ tolli possit per eum modum: nequaquam tamen argumento facto efficitur, quod denominatio illa potentis, ac relatio in ea imbibita non sit essentialis entitati causæ creatæ: sic non potest intelligi entitas actionis creatæ, & existentia effectus, quin actio effectum producat: & tamen relatio actionis ad effectum non consistit in vtroque, sed est actioni omnino, & adæquatè intrinseca, & essentialis.

95.

Ad tertium argumentum contrarium desumptum ex causa prima ad creatos effectus transcendentaliter non relata, nec cum iis essentialiter connexa. Quod quidem inter eam, & causas secundas comparatione suorum effectuum sit sufficiens disparitatis ratio, constat ex secunda ratione, quâ paulo supra nostram in præsentia sententiam tutatus sum.

Ad quartum argumentum contrarium dicendum est, eo quidem concludi, quod causa creatæ per